



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

Controversia XV. De Specificatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

respondendum est, negando non posse conferuari habitum acquisitum sine infuso. Ad probationem illius distinguendum est antecedens. Facile posse, supponit simpliciter posse: facile posse in actu primo adaequato, concedo: habitus qui ex se tribuit facile posse, & de facto reddit potentiam facilem, quando habet omnia requisita secundum suam entitatem supponit simpliciter posse ad sui conseruationem, nego.

9 In istis: Habitus acquisitus ad primam sui infusionem supponit infusum: ergo ad sui conseruationem. Probatur consequentia: Non magis requiritur ad productionem quam ad conseruationem; sed ad productionem habitus adquisitus supernaturalis requiritur infusum: ergo ad conseruationem. Respondeo negando primam consequentiam antecedenti admissio, quia in prima productione habitus adquisitus producit ab actu, & actus supponit habitum infusum, à quo producit, ac proinde supponit in illo instanti habitus adquisitus infusum, à quo dependet tanquam à causa mediata. In instanti vero conseruationis habitus adquisitus non conseruatur ab actu, sed à Deo tanquam à primo, & ultimo conseruante, ac proinde non dependet neque proximè neque remotè ab habitu infuso. Ad probationem consequentiae respondeo non magis requiri ad producendum, quam ad conseruandum effectum quandoproductione, & conseruatio futura est ab eadem causa: quando vero productio futura est à causa secunda, & conseruatio à prima, requiritur causa remota conseruans illam causam secundam, vt effectus producat, non vero requiritur, vt conseruetur causa remota conseruans Deum proximè effectum conseruantem.

10 Affirmo, actus supernaturales non producere habitum infusum adquisitum supernaturalem, quia si illud producerent, superfluum posset esse habitus infusus, quod sic probo. Habitus infusus requiritur vt eleuet potentiam ad actum supernaturalem, quem ipsa vipote naturalis non potest producere, sed hæc eleuatio tribueretur potentie ab adquisito: ergo superfluum esset infusus. Probo minorem, in qua est tota difficultas: Habitus acquisitus vt probauit producit actiue substantiam actus: ergo posito habitu acquisito supernaturali iam esset aliquod compingitum potentia supernaturale ad actum supernaturalem producendum: ergo esset sufficienter eleuata, & esset ex parte principij actiui aliquid supernaturale, cui responderet supernaturalitas re: lucens in actu: ergo non esset necessarius alius habitus infusus ad actum supernaturalem producendum. Dices, necessarium esse habitum infusum quia acquisitus non est ad substantiam, sed ad facilitatem. Contra: probauit iam habitum acquisitum concurrere ad substantiam, & tantum dici concurrere ad facilitatem, quia sine illo potest dari alius similis actus circa illud obiectum: ergo habitus acquisitus supernaturalis influeret in substantiam actus supernaturalis: ergo ad hunc non esset necessarius habitus infusus supernaturalis, cui corresponderet supernaturalitas effectus.

11 TERTIA CONCLUSIO. Facilitas ad actus supernaturales prouenit ab habitu naturali eleuato habitu infuso ad actus supernaturales producendos. Hæc conclusio probanda est ex duabus præcedentibus, vbi probauit facilitatē actuum supernaturalium reducendam esse in aliquem habitum acquisitum, & nullum supernaturalem produci. Ex quo necessarium cogimur ad habitum naturalem confugere. Confirmatur ex doctrina tradita Punct. 4. vbi probauit habitum reddere potentiam facilem ad actum distinctum in specie ratione principij ab illo à quo fuit productus, dum non distinguatur à ratione obiecti: ergo habitus naturalis productus ab actu naturali poterit reddere facilem potētiam ad actum ratione principij supernaturalem & specie distinctum secundum hoc prædicatum, dummodo tēdat in idem obiectum, in quod tendebat actus, à quo fuit productus. Confirmatur ratione desumpta à priori ex ipsa natura habitus. Habitus deseruit ad vincendam difficultatem, & reddendam facilem potentiam: sed tota difficultas, quæ est in actu desumitur ex materia, & ex motiui circa quod versatur actus, nō ex naturalitate, vel supernaturalitate: ergo dum materia, & motiui sit idem, idem habitus requiritur, siue actus futurus sit naturalis, siue supernaturalis. Probo consequentiam: vbi est eadem difficultas, eadē facilitas requiritur, vt vincatur, sed quotiescumque est eadem materia, & idem motiui est eadē difficultas: ergo requiritur eadem facilitas, quia vincatur, seu eadem facilitate vincitur difficultas, quæ est eadem. Difficultatem non oriri ex supernaturalitate facile probatur. Actus naturalis, & supernaturalis

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. 11.


ralis circa eandem materiam & idem motiui tantum differunt ex diuerso principio à quo procedunt: sed potentia non habet specialem difficultatem in producendo actu adiuta alio compingitum supernaturali, vel naturali: ergo difficultas actus non oritur ex supernaturalitate, vel naturalitate. Maior est certa: minor ex ipsis terminis constare videtur, quis enim dicit voluntatem difficilius erumpere in actum adiutam habita infuso, quam sine illo?

12 QUARTA CONCLUSIO. Actus supernaturales produciunt, vel intendunt habitum, quo actus supernaturales, & naturales facile produciunt. Infero hanc conclusionē ex præcedenti. Idē habitus deseruit vt facile fiant actus supernaturales, & naturales, & tā horū, quam illorū exercitio experimur facilitatē illorū, quæ vtrisque est cōmunis accrescere: ergo idē fundamentū est, vt dicamus habitum produci & intendi actibus naturalibus, & supernaturalibus: ergo dicendum ab vtrisque produci, cū nulla repugnancia sit in eo, quod actus supernaturalis producat naturalem habitum.

13 Obiic. ex Soar. Actus producit inclinationem in actus similes illi: ergo actus naturalis non producit habitum inclinante in actum supernaturalem, neque actus supernaturalis producit habitum inclinante in actum naturalem, sed naturalis producit habitum inclinante in actum naturalem, & supernaturalis inclinante in actum supernaturalem: ergo. Respondeo: Actum producere habitum inclinante in actus illi similes ratione motiui, & ratione materie, siue similes, siue dissimiles ratione principij, ac proinde actum naturalem producere habitum inclinante in alium actum tendentem in idem motiui, siue naturalem, siue supernaturalem. Similiter actus supernaturalis producit habitum inclinante in omnem actum siue naturalem, siue supernaturalem tendentem in idem motiui & materiam similem, in qua non reperitur noua difficultas.

14 Obiic. ex Hurt. Si actus supernaturalis potest producere habitum naturalem, habitus supernaturalis poterit producere actum naturalem: ergo nullum erit caput ex quo sumatur supernaturalitas actus, & poterimus dicere actum voluntatis procedentem ab habitu infuso esse naturalem. Respondeo disparem esse rationem, quia actus, qui procedit ab habitu supernaturali per se & essentialiter est coniunctus cum illo, ita vt nequeat de potentia Dei absoluta ab illo nō procedere, quia actus vitalis consistit in actione essentialiter per se ipsam connexa cum suo principio. Habitus vero dependet ab actu supernaturali mediā actione, & potest ab illo non dependere, sicuti de facto non dependet in instanti generationis, ac proinde ex eo quod dependeat ab actu supernaturali non inferitur non posse dependere ab actu naturali, & non esse naturalem secundum suam entitatē.

15 Hæc dixerim in sententia, quæ habitus supernaturales superaddidos constituit, in illa vero, quæ facilitatem in cognitione, & habitus tantum in speciebus constitueret, quid dicendum sit facile constat ex dictis de specierum productione ab actibus intellectus, & voluntatis.



CONTROVERSIA XV.

De Specificatione.

1 HIL frequentius in Philosophia fertur, quam potentias specificari per actus & actus per obiecta, neque potentis & actibus remitti specificationum clauduntur, vix enim de aliqua entitate disputamus, præcipue si relatiua sit, cui proprium specificatiuum non tribuimus. ideo placuit Controuersiam hanc instituere de specificatione rerum omnium.

PUNCTVM I.

Quid sit specificatio.

1 Specificare propriè loquendo est rei speciem facere, seu propriam speciem rei tribuere, quod si stricte sumatur causalitatem specificatiui in specificatum dicit, quod enim speciem alicuius efficit & illi speciem dat. verè est causa illius, ideo doctè dixit P. Herice tract. 1. disp. 5. c. 4. n. 39. & tract. 2. disp. 18. cap. 5. num. 34. specificationem formalem, & à priori inuoluere dependentiam. Ex hoc principio,

S hanc

hanc nobis certam debemus præfigere regulam: omne illud, quod ab alio propriè, & à priori non dependet, propriè & ab illo non specificatur, quia specificatio, ut iam dixi, formaliter causalitatem includit.

2 Ceterum non quilibet entitas, quæ dat esse alteri illam specificare dicitur sub omni ratione, sed tantum sub illa, quam præcisè ex vi illius principij determinatè habet tanquam à determinatio illius: exempli gratia: actio eo ipso quod procedat à principio naturali adequato non potest non esse naturalis: prædicatum naturalis in actione specificationem sumit à principio naturali ut naturali, quia hoc determinatum est ad producendam actionem naturalem, ita ut omnis actio, quæ ab illo procedat necessarid sit naturalis, & non possit esse supernaturalis. Quando verò causa ex se indifferens est ad producendum hunc effectum cum hoc prædicato specifico, & alium effectum cum alio prædicato opposito, specificatio talis prædicati non potest tribui principio indifferenti non libero, quia cum secundum suam naturam indifferens sit, & non possit se determinare, determinatio talis prædicati non ab illo, sed ab alio principio procedet à quo dicitur speciem desumere, exempli gratia: potentia visiva indifferens est ad producendam visionem coloris albi, vel nigri, producit de facto visionem coloris albi, specificatio prædicati, per quod hæc visio differt ab alio, quod haberet visio coloris nigri non sumitur à potentia, quæ non fuit à se determinata ad illud producendum, sed ab specie impressa, quæ illam determinavit, ut talem in specie visionem produceret.

3 Dixi specificationem prædicati non posse tribui causæ indifferenti non liberæ, quia si causa libera sit cum ipsa se possit determinare, etiam si indifferens sit ad amandum, vel odio habendum, potest dare actui prædicatum specificum amoris, quia potest se determinare ad amandum, & ablatio indifferentiæ ad amorem, & odium tribuitur voluntati, tanquam principio liberè se determinanti.

Sicuti causa, & causalitas in intrinsecam, & extrinsecam dividitur, ita specificatio eandem partitionem habet: specificatio intrinseca est illa quæ provenit à causa intrinseca, illa videlicet quam habet totum à forma: specificatio extrinseca est quam habet effectus à causa extrinseca adequatè ab illa distincta actio videlicet ab agente.

4 Specificationis nomen latius patet quam illius stricta significatio, iā enim sumitur non solum pro vera causalitate specificatiui, in specificatum, sed etiam pro illatione vnius prædicati ex alio ad quod habet aliquem ordinem, secundum quam acceptionem dicimus potentias specificari ab actibus, quia ex actu naturis, naturam potentiarum inferimus. Ex hoc fonte dimanavit divisio specificatiui, & specificationis à priori, & à posteriori: specificatio à priori, quæ propriè est specificatio, est illa quæ procedit à vera causa, in qua specificatum verè tribuit esse specificato; specificatio à posteriori est, quæ non sumitur à causa in qua specificatum non tribuit esse specificato, sed tantum illud arguitur inferi, hac ratione specificantur potentia ab actibus, quia ex diversis actibus diversas potentias inferimus.

5 Inter entitates relatiuas, quædam dicunt ordinè ad terminos, qui purè gerunt vices termini respectu illarum, ita ut nullo causalitatis genere, termini in entitates relatiuas influant, sicuti cognitio diuina dicit respectu ad obiectum creatum, quod nullo modo in illā influit, neque immediatè, neque mediā specie, & quilibet relatio transcendentalis termini ad suum effectum, qui nullam causalitatem exercet circa illam, sed tantum se habet per modum purè termini in ordine ad causalitatem, quia et si aliā ratione terminus relationis transcendentalis non se habeat ut purè terminus, quia aliquā denominationem desumit ex terminatione, ex quo distinguitur relatio transcendentalis à prædicamentalis; in ordine verò causalitatis effectus relationis transcendentalis tantum se habet ut purè terminus, quia nullam causalitatem exercet circa entitatem, quæ in ipsam refertur. Aliæ relatiue entitates dicunt ordinè ad terminos, qui causalitatem aliquā propriā, & strictam, proximam, vel remotam exercent circa respectus, quos terminant. Exemplum esto actus videndi, qui refertur in colorē, qui color mediā specie impressa illum efficienter producit, & sensatio tactus, quæ refertur in qualitatem, quæ immediatè illam producit.

6 Ex his entitatibus respectiuis, quæ terminos purè terminos respiciunt non possunt ab illis specificatione propriā à priori trahere, quia præcisè determinare non est influere, neque terminus præcisè quatenus terminus est habet ra-

tionem veræ causæ propriæ & strictæ, sed tantum impropiè, solet enim dici causa formalis extrinseca, quæ verè forma non est, neque veram causæ rationem habet. Potentia huiusmodi entitates à posteriori specificari à suis terminis, ex quorum diversitate, diversitatem effectuum colligimus. Entitates respectiue respicientes terminos, qui in illas aliquam causalitatem exercent ab illis possunt specificari, sicuti coloris visio, quæ à suo obiecto propriè speciem trahit. Ex his principiis facile poterunt assignari illa, à quibus singulæ entitates per omnia prædicamenta discurrendo speciem trahunt.

PUNCTUM II.

De specificatione potentiarum.

IN mea sententia, quæ potetias ab anima non distinguit, multa ex his, quæ dicam locum habere nequeunt, procedam tamen in opinione quæ potetias distinguit ab anima inter se, ut quæstioni locum demus, & doctrinam de specificationibus notam faciamus.

PRIMA CONCLUSIO. Nulla potentia specificatur ab actibus specificatione propriā, & à priori desumptā. Hæc conclusio ex dictis Punctis præcedenti manifestè inferitur per hunc discursum legitimum. Nulla entitas specificatur ab illo à quo est independens tanquam à causa, sed potentia est independens tanquam à causa ab actibus: ergo potentia non specificatur ab actibus: Maiorem probat Puncto præcedenti: Minor est certa, quia visio & intellectio nullam exercent causalitatem in potentiam intellectivam, & volitivam.

SECUNDA CONCLUSIO. Quilibet potentia specificatur à priori propriè, & strictè ab essentia, à qua dimanant: probat quilibet potetia procedit ab essentia, cuius dicitur potentia per simplicem emanationem tanquam ab adequato principio: sed omnis effectus specificatur à principio adequato, seu ab aliquo in illo concluso: ergo omnis potentia specificatur ab essentia: Maiorem admittit communis sententia: minorem probat principium adequatum naturæ suæ est determinatum, si necessarid operatur ad producendum effectum, & à se determinatur, si est liberum ad producendum effectum: ergo effectus procedit à principio adequato tanquam à principio cui tribuitur determinatio specifica ipsius effectus: ergo procedit ab illo tanquam ab specificante.

TERCIA CONCLUSIO. Potest dari potentia visiva superaddita in homine, & equo (sic de aliis potetis communibus homini, & equo sentio) quæ specificetur ab homine, & equo non secundum rationes specificas vniuscuiusque, sed secundum rationem communem animalis, ita ut potentia visiva hominis possit secundum ultimam rationem specificam procedere ab equo, & specie non distinguantur potentia visiva hominis & potentia visiva equi. Probat hanc conclusionem: non repugnat hominem habere potentiam talis naturæ, ut si coniungeretur cum natura equi, cum illa produceret actus videndi, quos produceret equus, sicuti modò adiuncta naturæ hominis producit actus visionis quos producit homo: ergo non repugnat eadem potentia non solum secundum speciem, sed etiam secundum numerum potuisse antecederet afficere hominē, vel equum, sed talis potentia utrique communis procederet à quocumque illorum quatenus aliquid commune haberet cum altero: ergo ab illa ratione cōmuni specificaretur, & non à ratione specialia, quia differt homo ab equo. Posse eandem potentiam afficere hominem & equum sic probat: Potentia non dependet per se & immediatè, sed mediā actione dependet ab homine; ergo potuit antecederet non dependere ab homine, sed dependere ab equo mediā alia actione.

Obiicit. Potentia visiva hominis producit visiones specie distinctas ab illis, quas producit potentia visiva equi: ergo distinguitur in specie. Probat antecedens: Potentia visiva hominis producit visiones dependētes essentialiter ab homine, potentia visiva equi producit visiones essentialiter dependētes ab equo: sed hæc visiones distinguuntur in specie: ergo utraque potentia necessarid nequit actus specie distinctos: ergo distinguitur specie. Respondeo casu quo potentia visiva hominis possit afficere equum, & e contra, utramque potentiam posse producere actus eiusdem speciei, licet de facto alios specie distinctos producat, quia potetia visiva hominis posset producere actus essentialiter dependē-

dependentes ab homine, quos de facto homini coniuncta produceret, & actus essentialiter dependentes ab equo, produceret, si equo coniungeretur, & sic similiter potentia visiva equi, quae de facto produceret actus essentialiter dependentes ab equo, posset etiam ex se producere actus dependentes essentialiter ab homine, quos produceret si natura hominis fuisset coniuncta, ac proinde utraque potentia posset antecedenter se extendere ad eisdem specie actus dependentes ab utroque principio, licet de facto qualibet ex se tenderet ad actus specie distinctos procedentes à principiis specie distinctis, quia diuersis specie, principiis esset qualibet potentia adiuncta. Ex quo non infertur distinctio specifica potentiarum, quia distinctio potentiarum non desumitur ex actibus, quos hic & nunc ratione circumstantiarum potest producere principium, sed ex his, quos quatenus est ex se valet exercere, valent autem potentia visiva hominis, & equi producere actus dependentes ab eodem principio secundum speciem, & circa idem obiectum, quia utraque potentia ex se valet producere visiones dependentes ab homine, & utraque potuit antecedenter esse potentia hominis, & similiter utraque potuit esse potentia equi & producere actus essentialiter dependentes ab equo.

QUARTA CONCLUSIO. Non repugnat potentia visiva hominis talis natura, ut ex se perat afficere naturam humanam, ita ut etiam si posset coniungi cum hac vel illa anima rationali ad visionem producendam, non posset coniungi cum natura equi, & similiter potentia visiva equi talis natura, quae perat afficere equum & non aliud specie animalis, etiam si indifferens sit ad hunc, vel illum equum afficiendum, quae potest specificationem fument à ratione specifica essentia, à qua procedunt, quia homo v. g. ex predicato specifico rationalis determinatus est ad producendam potentiam visivam distinctam à potentia visiva equi, & equus ex predicato specifico huiusmodi determinatus est ad producendam potentiam visivam distinctam specie ab illa quae potest homini convenire. Quod si potentia visiva hominis exigeret afficere hominem, ita ut non posset equo convenire, & potentia visiva equi exigeret nasci ab equo, & non posset ab homine procedere, specie distinguendas esse, sic probatur. Potentia quae dicunt ordinem ad species distinctas quatenus distinctas specie distinguuntur: sed haec potentia dicerent ordinem ad essentias specie distinctas ut specie distinctas: ergo distinguerentur in specie. Quid de facto contingat in mea sententia locum non habet, quae potentias ab animo distinctas non admittit.

QUINTA CONCLUSIO. Si in homine & angelo darentur intellectus superadditi, distinguerentur specie, & specificarentur ab ipsis illorum differentis. Probatur haec conclusio ex diuerso modo quem haberent operandi haec potentia, quia potentia intellectiva hominis operaretur dependenter à phantasmatibus, & nullum est fundamentum ut dicamus angelum producturum intellectum potentem operari dependenter à phantasmatibus, à quibus angeli operatio dependere non potest, & angelus intelligit per species vniuersaliores, & intellectiones longe perfectiores, quas sine fundamento dicemus posse produci ab intellectu hominis, neque differentia similis inuenitur inter potentiam visivam hominis & equi, quia dependenter ab eisdem obiectis, & per eandem speciem, & aequè se ad obiecta extendentes videt homo, & equus.

SEXTA CONCLUSIO. In potentiis, & sic in quibusvis aliis entitatibus praedicatum materialitatis & spiritualitatis specificatur non solum ex principio effectiuo, sed etiam ex causa materiali, quod sic probatur. Forma spiritualis non potest educi ex subiecto materiali, neque forma materialis ex subiecto spirituali: ergo subiectum ex se est determinatum ut effectus ab illo euadat materialis si materiale est, & spiritualis si subiectum spirituale fuerit: ex alio capite subiectum educationis est vera causa: ergo ab illo effectus trahet specificationem secundum praedicata materialitatis & spiritualitatis, secundum quae non potest non talis determinate euadere à subiecto educationis.

SEPTIMA CONCLUSIO. Specificatio potentiarum à posteriori, & quo ad nos sumitur ex omnibus actibus collectiue sumptis, quos singulae possunt producere, ita ut quotiescunque collectio actuum, specie differat, secundum omnes actus, quos includit, vel secundum aliquos inclusos in hac collectione, quibus in alia collectione non correspondere alij similes, seu non notabiliter differentes potentia specie necessarè distinguantur. Hac ratione poten-

Francisc. de Quiedo Philosoph. Tom. II.

tia volitiva, & intellectiva, auditiva, & visiva ab his, qui illas distinctas realiter distinguunt, specie distincte constituantur, quia illorum actus specie distinguuntur secundum omnes, qui includuntur in collectione illorum, qui possunt exerceri à quacunque potentia. Similiter specie distinguuntur si darentur duae potentiae, quarum una posset producere actus videndi, & audiendi, & altera actus videndi tantum, quia collectio actuum, ex qua desumeretur specificatio vnius potentiae notabiliter differret ab alia, et si non secundum omnes actus audiendi, utriusque essent communes secundum alios qui huic collectioni, & non illi competenter.

Est tamen in hac re non levis difficultas in assignandis actibus adequatis cuiuscunque potentiae, in ordine ad quos potentiae specificentur, & sint multiplicandae in substantiis habentibus potentias realiter distinctas. Cur enim sicut pro actibus audiendi & videndi diuersae potentiae constituantur, non etiam diuersae constituantur pro actibus apprehendendi, & discurrendi. Censeo non repugnare diuersas potentias superadditas, quandam apprehensiuam, aliam iudicativam, & discursiuam aliam assignari tamen omnibus his actibus eadem potentia propter illorum similitudinem, & similem modum respiciendi obiecta, actibusque audiendi, & videndi distinctas potentias assignari propter eorum dissimilitudinem. Quanta verò debeat esse dissimilitudo ad distinctas potentias constituendas, quantamque eadem patiatur potentia, non potest certa & determinata regula metaphysica, aut mathematica assignari, sed prudentis hominis iudicio taxandum est.

OCTAVA CONCLUSIO. Ab illis à quibus desumeretur à posteriori distinctio specifica potentiarum realiter distinctarum ab anima desumitur distinctio formalis potentiarum, quae inter se & anima realiter non distinguuntur, sic formaliter distinguimus in eadem anima potentiam intellectivam à volitiva, & auditivam à visiva per ordinem ad eosdem actus, in ordine ad quos potentias realiter distingueremus. Ratio est, quia distinctio rationis sumitur per ordinem ad distinctionem reale, & ita in ordine ad eosdem actus desumitur. Id quod dixi de potentiis actuum vitalium, eadem proportione intelligendum est de aliis potentiis non vitalibus, calore, v. g. & frigiditate respectu suorum principiorum, & actionum, quae possunt ab illis procedere.

PUNCTUM III.

De specificatione aliarum qualitatum non vitalium.

PRIMA CONCLUSIO. Habitus infusus à priori tantum specificatur tanquam à causa extrinseca ab omnipotentia per actum voluntatis Dei determinata ad hunc habitum producendum, neque aliud habet specificatum secundum praedicatum specificum illius. Ratio ex dictis Punct. I. facili est nulla est entitas creata, quae possit hos habitus infusos producere: ergo illorum productio, & determinatio productionis tantum provenit à Deo: ergo ab illo tantum provenit specificatio, quae consistit in dependentia à principio à se liberè vel necessario determinato ad producendum talem effectum.

SECUNDA CONCLUSIO. A posteriori, & quoad nos ex actibus respicientibus diuersa motiua formalia, etiam pertinentibus ad eandem potentiam debemus inferre diuersitatem specificam habituum supernaturalium. Probo hanc conclusionem: In homine peccatore manet habitus spei, & non manet habitus charitatis: ergo habitus infusus distinguuntur etiam si illorum actus pertineant ad eandem potentiam: ergo habitus distinguuntur per distinctionem obiectorum formalium: quae illorum actus respiciunt. Sic Theologi omnes, qui actus virtutum infusarum, & illorum habitus per diuersa motiua formalia, quae respiciunt actus, distinguere.

TERTIA CONCLUSIO. Non repugnat ex natura rei habitus quidam supernaturalis, qui concurrat ad omnes actus supernaturales potentiae volitivae licet de facto non detur. Probo hanc conclusionem: Eadem potentia volitiva etiam si superaddita ponatur, concurrat ad volitiones supernaturales respicientes diuersa motiua: ergo idem habitus supernaturalis posset ad eosdem concurrere, quia habitus infusus non datur ad distinctionem motiuorum in actibus, actus enim naturales voluntatis absque illo habitu diuersa motiua respiciunt, sed tantum dantur ad praedicatum supernaturalitatis quod

precise sumptum eiusdem rationis est in omnibus actibus. Ex hoc inferitur specificationem à posteriori ex diuersis motiuis actuum ad diuersos specie habitus infusos non sumi precise ex hoc capite necessario ex natura rei, sed suppositis aliis principiis ex quibus nobis constat habitus infusos distinguui realiter per ordinem ad actus supernaturales distinctos ex motiuis.

4 **QUARTA CONCLUSIO.** Habitus acquisiti si dantur superadditi specificationem sumunt ab actibus, à quibus producantur, quia ab illis procedunt tanquam à principiis determinatis ad productionem illorum.

5 **QUINTA CONCLUSIO.** Habitus acquisiti sic à posteriori & quoad nos specificantur ex diuersis motiuis & ex materia dissimili, circa quam actus versantur, in qua potest esse noua difficultas, ita ut quocumque horum alterum diuersum sit diuersum habitum ex actibus à posteriori inferamus. Constat hæc conclusio ex dictis Controu. præcedentibus, Punct. 5, ubi probauimus habitus multiplicari ex motiuis, & ex diuersis materiis, in quibus diuersa apparet difficultas, & ex dicendis Puncto sequenti, ubi probabo actus per ordinem ad diuersa obiecta materialia specie distincta distinctionem sortiri specificam.

6 **SEXTA CONCLUSIO.** Species impressæ, quæ producuntur ab obiectis ab illis à priori specificationem trahunt, quia omnia obiecta productiua specierum determinata sunt ex se ad illas producendas, & neutrum valet speciem diuersæ rationis ab illa, quam producit, efficere.

7 **SEPTIMA CONCLUSIO.** Species impressæ, quæ producuntur à Deo, & non ab obiectis, quorum species dicuntur, totam specificationem trahunt à Deo tanquam à causa adæquata determinante se ad talem speciem, & non ad aliam naturam specificam distinctam producendam.

8 **OCTAUA CONCLUSIO.** Species impressæ siue à Deo productæ siue ab obiectis à posteriori specificantur ab actibus: ex quibus specierum naturas licet inferre, nullus enim est actus, qui indifferens sit ad dependendum, & non dependendum ab specie impressa, neque ad dependendum ab hac vel illa specie impressa, sed actus omnis ab impressa specie dependens ex differentia individuali connexus est cum hac numero specie, & ex differentia specifica cum specie huius specificæ naturæ.

9 **NONA CONCLUSIO.** Ex qualitatibus, quæ nullum effectum producant, supernaturales sicuti habitus gratiæ, in opinione, quæ illum ab habitu charitatis distinguit, & character Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, à priori specificantur à Deo, quia ab illo tantum dependent tanquam à causa se determinante ad has qualitates producendas, & à posteriori à terminis, ad quos dicunt aliquem ordinem characteres ab auxiliis diuinæ gratiæ quæ secum afferunt, gratia habitualis à beatitudine, ad quam dicit ius, & à Deo, cum quo coniungit animam. Qualitates naturales (si quæ sunt non operatiuæ) specificantur à priori ab aggregato qualitatibus, seu à quocumque agente, à quo producuntur, quod per suam entitatem est determinatum ad illas producendas, & ab actibus qui possunt dari circa illas.

PUNCTVM IV.

De specificatione operationum vitalium.

EX principiis, & obiectis operationes hæc specificari dicuntur, distincte de specificatione ex utroque capite à priori & à posteriori desumpta.

§. I.

De specificatione desumpta ex principiis.

2 **PRIMA CONCLUSIO.** Prædicatum supernaturalitatis in his operationibus specificatur à quocumque principio per se influente in illas supernaturales, & prædicatum naturalitatis exigit omne principium adæquatum naturale secundum omnia inadaequata principia, quæ includit. Pater hæc conclusio in actu amoris Dei, qui procedit à potentia volutiua naturali & eo ipso quod procedat ab habitu supernaturali supernaturalis euadit, & in actu fidei, qui eo ipso quod procedat ab habitu infuso supernaturali, etiam si procedat ab intellectu naturali, & ab impressis speciebus naturalibus supernaturalis est. Ratione à priori reddo. Omnis actus vitalis qui procedit à principio saltem inadaequato supernaturali, utpote actio essentialiter depēdet ab illo,

& cum illo connexionem habet supernaturalis est, quia quicquid per se connexionem est cum entitate supernaturali ita ut potentia Dei absoluta sine illa subsistere nequeat supernaturalis est.

SECUNDA CONCLUSIO. Actus vitales secundum rationem supernaturalitatis, aut naturalitatis non possunt specificari à naturalitate subiecti, quia subiectum naturale differens est, ut ex illo educatur operatio naturalis, vel supernaturalis, ut patet in voluntate, & in intellectu, ex quorum potentia actus naturales, & supernaturales educuntur libris, & in quacumque alia actione recte specificabitur ex prædicatum verò supernaturalitatis in operationibus vitales, & in quacumque alia actione recte specificabitur ex subiecto supernaturali per se ipsam dependet ab illo, & cum illo connexionem habet: ergo est supernaturalis, quicquid enim habet essentialē connexionem cum re spiritualitatis dixi Punct. 2. Concl. 6. specificari in omnibus entitatibus ex subiecto educationis.

TERTIA CONCLUSIO. Prædicatum visionis, & sic de aliis, specificatur à potentiis singulorum actuum (si hæc inter se distinguuntur) ratio est quia quælibet potentia, eo ipso quod vitaliter & non per simplicem emanationem operatur, determinata est ad producendum proprium actum, & non potest actum alterius producere, non enim potentia visiva potest producere auditionem, neque auditiva visionem, & sic de aliis. Ex qua inferitur hæc prædicata provenire à potentiis ex se determinatis ad producendam operationem vitalem cum illis, & non cum aliis oppositis.

QUARTA CONCLUSIO. Prædicatum talis sensationis internæ, & externæ, & talis intellectus, non specificatur à potentia, sed ab alio comprincipio, quod cum potentia operatur, quia potentia visiva & sic de aliis indifferens est ad producendam visionem circa obiectum album, & nigrum, & non valet à se determinari, sed determinatur ab specie ad producendam visionem albi, à qua visio specificationem trahit secundum ultimum prædicatum specificum. Operationes quæ ab speciebus non procedunt sicuti sensatio tactus hanc specificationem trahent ab obiecto immediate concurrente ad sensationem, & intellectio à phantasmate, si hoc immediate influit in intellectum.

QUINTA CONCLUSIO. Ratio talis volitionis, amoris, & g. vt distincti ab odio potest specificari ab ipsa voluntate in actu primo indifferenti ad amorē, & odiū. Ratio est quia si voluntas secundum se indifferens sit ad hos actus, cum sit potentia libera valet se determinare ad hanc speciem actus, & illi specificationē tribuere. Ab eadē voluntate sumitur specificatio amoris, quando voluntas necessario amat necessitate orta ex cognitione, quia cognitio cum non induat in amorē, sed tantū se habeat ut conditio nō potest illum specificare propriē, & rigorosē, sed tantū se habet ut conditio, quā posita voluntas amorē specificat tanquam causā determinatā ad amorē nō per modū causæ liberæ, sed necessitatis, quia ea est natura volūtatis, ut per se ipsam sit determinata ad amandū quodcumque obiectum, quod illi proponatur ut bonum sine admixtione mali, & ad odio habendum obiectum propositum ut malum sine admixtione boni.

§. II.

Explicantur munera obiecti formalis & materialis.

PRIMUM munus obiecti formalis est mouere ad operationem; hoc vt docet Soar disp. 12. metaphysic. sect. 3. n. 17. importat in potentiis cognoscitiuis, in quibus clauduntur omnes excepta appetitiua materialia, & spiritualia, indubium efficientis, color enim dicitur mouere ad visionē, quatenus mediā specie impressa illā producit, & sapor ad sensationē gustus quatenus immediatē ad illam concurrit, & sic omnibus obiectis respectu suarum potentiarum, quæ vt motiua principia sunt efficientia proxima, vel remota suæ operationis. In potentiis appetitiuis mouēdi ratio dicitur rationem finis, ita vt illud obiectum, quod per se appetitur, dicatur motiuum, & tantum terminatum illud quod appetitur propter aliud. Hoc mouendi genus reperitur propriē in potentia appetitiua spirituali, quæ propriē operatur propter finem, & impropriē in materiali, quæ impropriē tantum finem attingit. Ceterum cum obiectum volumētis, quod mouet per modum finis moueat quatenus cognitum, & cognitio se habeat ut conditio vt moueat in actu secundo, dicitur etiā obiectū mouere quatenus cognitionē producit.

producit mediis speciebus, quando species producit à quibus dependet cognitio, ex vi cuius obiectum proponitur ut moueat per modum finis.

8 Secundum munus obiecti formalis est taxare perfectionem ad quam mouet. Id autem prouenit in obiectis, quæ mouent per modum principij effectiui, quia, perfectio effectus semper limitatione habet à causa, si creata est, quæ non potest producere effectum perfectiorem se, ac proinde perfectio causæ mensura est quam non potest excedere perfectio effectus. Si causa est increata cum non possit producere alium effectum increatum, non potest producere effectum quæ perfectum cum ipsa, ac proinde illum debet producere imperfectiorem, & consequenter finitæ perfectionis, & cum aliquo perfectionis termino, ob id Doctores recte inferunt, creaturas eo ipso quod sunt ab alio, esse finitas, & limitatas. Obiecta motiui volitionis creatæ illius perfectionem taxant propter bonitatem finitam, vel saltem finito modo cognitam, quo voluntatem mouent, quia cum illam moueant quatenus cognita, ex imperfectiæ cognitionis imperfectio motionis, seu volitionis respicientis obiectum per modum finis inferri necesse est. Vnde cum cognitio non sit summè perfecta non potest non volitio obiectum respiciens tanquam finem finitam vel limitatam habere perfectionem.

9 Aliud munus proprium est obiectorum formalium, quod licet non omnibus conueniant, nulli tamen non formali cõpetit, videlicet determinare potentiam ut tendat circa aliud obiectum, sic finis determinat potentiam volitiuam ad amorem mediorem, & obiectum intellectus determinat ad cognitionem entitatis, cum qua connexionem habet, vel ad quæ ducit in cognitionem sui termini, ut pater in cognitionem filij. Neque necessarium est ut obiectum, quod ducit in cognitionem seu amorem alterius sit prius cognitum, aut amatum ut contra Puente Hurt. de fide disp. 4. sect. 4. §. 25. & 28. probauit Controu. II. Punct. 2. num. 14. & 19. ubi per eundem actum habentem rationem intentionis, & volitionis posse amari finem propter se & media propter finem ostendi, & explicui, quomodo media, & finis, quæ per eandem volitionem attinguntur possint in ordine ad illam hos respectus diuersos habere, scilicet: obiecti amati propter se, & media obiectorum amatorum propter finem.

10 Aliud munus proprium obiecti materialis est terminare operationem, loquor de obiecto materiali proximo, quia obiectum materiale remotum v.g. subiectum coloris visui, propriè loquendo non est obiectum visionis adhuc materiale, sed subiectum obiecti, quod operationem non terminat, sed est subiectum obiecti materialis illam terminantis. Hoc munus terminandi commune est etiam obiecto formali, quod terminat operationem, bonum enim, quod propter se amatur, & est formale obiectum, terminus est amoris, & relatio, seu actio, quæ ducit in cognitionem sui termini, est obiectum terminans cognitionem. Sunt tamen aliqua obiecta formalia, quæ tantum terminant ut quo tantum rationes vt terminant materialia, ipsa autem non vt quo terminant, quia ex vi amoris v.g. ad quem mouent non amantur, sicuti peccatum mouet ad amorem supplicij, non vt obiectum quod ametur ex vi amoris, quo supplicium amatur: de his dixi Contr. II. Punct. 2. n. 3.

§. III.

De specificatio actuum ex obiectis materialibus, & formalibus.

11 Actus specificari ex obiectis motiuis, seu mouentibus media specie certum est, quia cum species impressæ specificent actus tanquam principia effectiua illorum, & obiecta sint principia efficiencia species impressas, & illas specificantia, sit necessariò obiecta mediare influere in actus tanquam principia determinantia omnia prædicata, seu quæ species determinat, cum autem species determinant & specificent infimam speciem operationis v.g. species coloris speciem infimam visionis, obiectum producens speciem, eandem rationem determinat media specie impressa, tanquam causa remota operationis.

12 Non alia ratione posse obiecta formalia, aut materialia propriè, & à priori specificare operationes, conitatur ex doctrina tradita tota hac Contr. quia specificare dicit propriam causalitatem, obiecta autem non exercent causalitatem propriam & strictam nisi mediis speciebus: ergo nõ

Francisc. de Quiedo, Philosoph. Tom. I.

nisi mediis istis possunt operationes specificare. Ex hoc fit nullum obiectum non mittens species deferuietes ad productionem operationis illam propriè & à priori specificare, & consequenter nullum actum appetitus materialis, aut spiritualis propriè, à priori specificari ab obiecto, quia nullum obiectum actiue influat in illud mediis speciebus. Poterit tamen obiectum specificare cognitionem, à qua non propriè tanquam à causa, sed impropiè tanquam à conditione, & applicatione obiecti formalis aliquo modo à priori specificatur actus, quia licet cognitio non sit vera causa actus voluntatis, tenet se tamen ex parte actus primi ad illum, & ita aliquam, licet impropiam specificationem exercet circa talem voluntatis actum, quam remotè exercet obiectum specificans cognitionem.

13 Neque contra hanc doctrinam est illud vulgare axiomata: *Ex potentia & obiecto paritur notitia*, quia nos non negamus obiectum parere cognitionem, & sensationes omnes medio specierum semine, quo potentia fit fecundata ad operationis partem. Specificatio verò, quæ tribuitur obiectis omniū actui intelligi debet de specificatione à posteriori, sicuti necessariò intelligitur specificatio potentiarum per actus, qui nullo modo influat in illas, & eodè modo dicitur potentias specificari per actus, & actus per obiecta.

14 Circa specificationem à posteriori nulli dubiū est actus specificari per obiecta, etiam si hæc nullo modo in illos actiue influant, ex obiectis enim formalibus inferimus ad quæ virtutem spectat actus, est enim legitima consequentia: actus respicit leuamen miseris alienis formaliter: ergo est actus misericordis. Actus respicit bonitatem Dei propter se ipsam: ergo est actus charitatis, neque actus tantum specificantur ab obiectis formalibus, sed etiam à materialibus obiectis, duo enim actus respicientes idè obiectum formale, si obiecta materialia specie differentia respiciunt, specie different inter se: sic actus quo quis credit Deū esse trinum & vnū specie differt ab actu quo credit decedetes in peccato pœnā aeternā puniendos esse, & actus quo quis vult pati mortē propter amorē Dei, specie differt ab actu, quo quis vult pauperi eleemosynam erogare propter Dei amorem, quia hi actus differunt per prædicatum multis commune, & notabiliter differens. Neque refert communiter doctores tantum distinxisse actus per obiecta formalia, quia illi non egere de quacumque distinctione specifica actuum, sed de illis, quæ actus ad diuersas virtutes spectantes constituunt. Recentiores verò qui accuratius rem pertractant actus per obiecta distingui concessere.

15 His positis graue est dissidium inter doctores, an prædicata naturalitatis, & supernaturalitatis specificentur ab obiectis formalibus, ita vt non possit actus naturalis respicere obiectum formaliter supernaturale, neque actus supernaturalis respicere obiectum formale naturale, quam quæstionem multi tractant non distinguentes inter specificationem à priori, & à posteriori, & integrum locum habet etiam si tota specificatio à priori tribuatur principiis, quia hoc admissio posset quis dicere obiectum supernaturale formaliter necessariò attingi actu procedenti à principio supernaturali, à quo trahit specificationem supernaturalitatis, & ita hanc à posteriori inferri in actu ex obiecto. Similiter dici potest obiectum formaliter naturale necessariò attingi per actum dependentem à principio adequato naturali secundum se totum, à quo trahit specificationem naturalitatis à priori, & à posteriori ab obiecto.

16 Actum supernaturalem necessariò respicere obiectum formale supernaturale, & naturalem actum attingere non posse obiectum formale supernaturale, sed necessariò ferri in obiectum naturale defendunt grauissimi doctores. Hi sunt P. Vasq. 1.2. q. 1. in notatione articuli 3. & disput. 50. cap. 1. P. Arrubal 1. p. disput. 14. cap. 6. P. Fasolis 1. p. q. 12. artic. 1. num. 9. P. Didacus Ruiz. de prædest. disp. 46. sect. 5. P. Torr. opusc. 2. de gratia disputat. 8. dub. 8. & 9. P. Azor. tom. 1. institut. Moral. lib. 3. cap. 24. quæst. 2. P. Tannerus tom. 2. disput. 6. quæst. 3. num. 153. P. Didacus de Alarcon. tract. 1. disp. 2. cap. 5. §. 2. & 3. Bañez, 2.2. quæst. 5. artic. 2. Curiel. 1. 2. quæst. 109. artic. 1. dub. 3. §. 4. concl. 2. Zúmel 1. 2. disp. 1. & 2. artic. 3. Medina 1.2. q. 62. articulo 2.

17 Oppositam sententiam videlicet posse actum naturalem habere obiectum formale supernaturale, & actum supernaturale obiectum formale naturale defendunt sapientissimi doctores ex antiquis, & modernis. E nostris recentioribus Molina in Concordia q. 14. art. 13. disp. 7. & 13. & 14. & 32.

S 3

quidquid

quidquid reclamet Alarcon suprà. P. Egidius de supernaturalit. disp. 5. dub. 3. & de fide disp. 14. n. 7. P. Gran. 1.2. Contr. 8. de gratia tract. 1. disp. 4. sect. 3. & 1. p. in procemio disp. 4. n. 17. P. Salas 1.2. tract. 2. q. 5. disp. 12. sect. 3. n. 31. Ripalda lib. 3. de supernaturalit. disp. 45. sect. 2. ex externis recentioribus, Aragon 1.2. q. 1. art. 1. Lorca disp. 9. de grat. concl. 1. & 2. ex antiquioribus Scotus quodlib. 11. S. alia differentia, & in 3. dist. 31. q. vnica S. sed ad hoc, Gab. in 3. dist. 23. q. 2. art. 1. litera G & H. Bassolis in 3. dist. 28. q. vnica art. 1. S. sic igitur, & dist. 23. q. vnica, art. 1. ad 1. Conrad. 1.2. q. 62. art. 3. Paludan. in 4. dist. 14. q. 2. n. 13. Palacios in 1. dist. 28. disp. 2.

18 Nescio quo fato tot, tantique Doctores in eam mentem incederunt ut vnanimes omnes, ex illo axioma sine examine à plerisque admissio: *actus specificantur per obiecta*, inferrent actus naturalitatem, & supernaturalitatem ex obiectis necessario tracturos, cum plura alia sint prædicata in actibus, quæ in obiectis illis non correspondeant, & plura in obiectis reluceant, quæ actus non participant. Sic obiectum sepe est substantia, & actus est accidens: obiectum est materiale, & actus est spiritualis; actus formaliter est vitalis, & ipsa vita formalissimè, & obiectum vitale non est. Hæc omnia rectè fert religio illius axiomatis, *actus specificantur ex obiectis*, cur ergo non feret actum, & obiectum non sibi in supernaturalitate, & naturalitate correspondentiam formalem seruare?

19 Affirmo cum doctoribus suprà citatis, actum supernaturalem posse attingere obiectum formale naturale, & actum naturalem posse attingere obiectum formale supernaturale. Probo primam partem conclusionis: Potest obiectum naturale attingi actu dependenti ex principiis supernaturalibus: ergo potest obiectum naturale attingi actu supernaturali. Consequentia est legitima ex dictis S. 1. ubi probauit actum dependentem ex principiis supernaturalibus essentialiter esse supernaturalem. Antecedens probatur: obiectum formale materiale potest attingi actu dependente à principio spirituali: ergo obiectum naturale potest attingi actu dependente à principio supernaturali: Antecedens nulli dubium est, cognitio enim intuitiva coloris dependet à potentia intellectiua spirituali, & in opinione communi ab impressa specie spirituali, & sensatio externa eiusdem coloris in opinione, quæ potentias ab anima non distinguit essentialiter dependet à potentia spirituali. Secundò si daretur substantia intellectiua supernaturalis, nullus negaret posse hanc tendere circa obiecta formalia naturalia, quis enim negabit talem substantiam illaturam existentiam ignis ex existentia fumi, sed omnes illius actus essent supernaturales, quia essentialiter dependent ab illa: ergo actus supernaturalis non petit essentialiter obiectum supernaturale.

20 Rursus arguo à paritate non solum principiorum, sed ipsorum actuum: actus spiritualis potest versari circa obiectum materiale: ergo actus supernaturalis circa obiectum naturale. Respondet Alarcon. obiectum specificare potentiam intra genus ad quod est contracta potentia & quia potentia intellectiua contracta est ad producendos actus spirituales, & non potest materiales producere, ita obiectum specificat omnes actus intellectus intra genus spirituale, & non potest materialitatem illis impingere per specificationem, quam in illos refundit. Rectè, sed eadem doctrinā vergeo: obiectum materiale specificat actus intellectus salua illorum spiritualitate, quia iam supponuntur intra genus spirituale ratione potentia, à qua trahunt spiritualitatem: ergo eodem modo obiectum naturale poterit specificare actus salua illorum supernaturalitate, quia iam supponuntur intra genus supernaturale ratione principiorum supernaturalium, à quibus dependent, & à quibus trahunt supernaturalitatem, sicut enim potentia intellectiua constituit omnes suos actus independentes ab obiecti spiritualitate, & materialitate intra genus spirituale, ita si daretur potentia supernaturalis, & habitus supernaturales, qui de facto dantur, constituent actus dependentes ab illis intra genus supernaturale independentes à supernaturalitate, & naturalitate obiecti.

21 Probatur eadem pars ex actibus virtutum moralium infusarum, quibus difficillimum est obiectum supernaturale assignare, quod enim dicunt Thomistæ, virtutes acquisite respicere propria obiecta ut conformia rationi naturali, & virtutes infusas respicere eadem motiua ut conformia rationi fidei supernaturali, vel ut conformia homini ordinato ad finem supernaturalem, facile habet impugnationem,

quia rustici homines hanc conformitatem non apprehendunt, & tamen eliciunt actus virtutum infusarum: ergo actus non respiciunt ex parte obiecti has conformitates, quia nullus actus voluntatis potest ferri in obiectum non insequor, quia Theologica est.

Secundam partem conclusionis, videlicet posse actum naturalem tendere in obiectum supernaturale probo. Potest Philosophus ratione naturali cognoscere Deum esse summum bonum, & amore dignissimum: ergo ex vi illius cognitionis potest illius voluntas trahi & allici ad amorem: ergo ex vi illius cognitionis absque alio principio supernaturali potest amare Deum. Probo vtramque illationem bonitas finita & limitata naturali cognitione representata trahit in actu primo ad amorem, & mouet ad illum in actu secundo: ergo bonitas infinita, & illimitata eodem modo propostita idem præstare poterit, cæteris enim paribus infinita bonitas magis voluntatem incitat ad amorem, quam finita. Similiter potest infidelis cognoscere cognitione naturali Deum reuelasse aliquam veritatem: ergo poterit ex illo testimonio moueri ad præstandum assensum obiecto reuelato, qui assensus respiciet obiectum supernaturale fidei, & tamen erit naturalis, quia infidelis, qui non credit omnia mysteria à Deo reuelata nullum habet actum fidei supernaturalem. Idem dico de obiecto spei. Potest enim infidelis nullam habens cognitionem supernaturalem cognoscere ratione naturali Deum esse bonum, beneficium, liberalem, & omnipotentem: ergo potest ex vi huius cognitionis expectare bonum aliquod, quod posset expectare à creatura, in qua non ita egregia motiua spei agnosceret, sed longè inferiora, utpote finita respectu entis infiniti per essentiam. Clariùs patet in actu timoris. Cur enim homo naturaliter non timebit inferni poenas à Deo infligendas postquam persuasit, etsi per cognitionem tantum naturalem illas à Deo sibi infligi posse? Probant alij eandem conclusionem, quia si ex obiecti supernaturalitate liceret inferre supernaturalem actum, posset quis certò cognoscere amare Deum actu supernaturali, quia potest cognoscere amare Deum actu respiciente bonitatem Dei propter se ipsam, quæ est obiectum supernaturale. Hæc ratio firma non est, quia certum non est posse aliquem certò cognoscere motiuum actus suæ voluntatis.

Vltimò probatur vtraque conclusio specificatio à priori defumitur ex principio: ergo independentes à naturalitate, & supernaturalitate obiecti actus habent naturalitatem & supernaturalitatem: ergo actus dependens à principio supernaturali, in quodcumque obiectum feratur siue naturale, siue supernaturale, erit supernaturalis, & actus dependens à principio adequato naturali necessario erit naturalis in quodcumque obiectum feratur.

Moneo Ripaldam disputatione 45. citata, sectione 8. docere actum supernaturalem semper respicere in obiectum rationem formalem sub qua supernaturalem, quia tendit in illud quatenus potens est terminare talem actum, constituitur autem saltem extrinsecè potens terminare talem actum per potentiam, & principia ad illum, quæ principia semper sunt supernaturalia, ac proinde deriuant in obiectum terminabilitatem supernaturalem ad actum. Nolo cum Ripalda de nomine tantum certare. Certum enim est actum primum ad actum supernaturalem constituere obiectum extrinsecè potens terminare talem actum supernaturalem, sicuti potentia visiva constituit colorem proximè visibilem, certum etiam est obiectum habere aliam terminabilitatem intrinsecam respectu talis actus, quam admittit Ripalda, & asserit esse naturalem, cum obiectum formale est naturale, quia non distinguitur ab ipsa ratione constitutiva formaliter obiectum formale, certum est etiam actum attingere per suam entitatem hanc terminabilitatem intrinsecam, & non extrinsecam illam, quæ tantum est pura denominatione proueniens ab actu primo potente producere actum secundum, quæ omnia fatetur Ripalda, in quibus quidquid de re disputari potest clauditur. Quod dicit Ripalda terminabilitatem extrinsecam, quam actus non attingit esse rationem sub qua, est pura loquutio, dum ille fateatur non attingi per actum, quam ego impropiam iudico, nullus enim extrinsecam denominationem resultantem ex potentia visiva in colore appellauit rationem, sub qua color terminat visionem.

§. IV.

Argumenta soluta.

- 25 Obiectis Augustinum lib. contra Iulianum c. 3 qui virtutes ex obiectis formalibus distinguendas esse docet. Resp. mentem Aug. non fuisse in hoc cap. distinguere virtutes supernaturales à naturalibus ex motiuis, sed distinguere virtutes à vitiis, & ipsas virtutes supernaturales inter se, & naturales inter se ex motiuis, quia agebat contra Iulianum, qui, teste Augustino, dicebat ad cognoscendas virtutes non causam, propter quam, sed quid ageretur, respiciendum esse.
- 26 Obiect. 2. D. Thom. sæpe distinguente actus virtutis supernaturales ab actibus naturalibus ex motiuis, præcipue 1. 2. q. 63. art. 3. Resp. D. Thom. distinguere actus supernaturales à naturalibus ex motiuis vt applicatis per hæc, vel illa principia supernaturalia.
- 27 Obiect. 3. obiectum est debitum actui: ergo si obiectum supernaturale posset respici actum naturalem esset debitum actui naturali: ergo esset supernaturale, vt supponitur, & non esset supernaturale, quia quidquid est debitum entitati naturali non potest esse supernaturale. Hoc argumentum si aliquid probaret, conuinceret non posse actum naturalem respicere obiectum materiale supernaturale, quia non minus debitum est actui obiectum materiale, quam formale. Resp. actui naturali non esse debitam existentiam obiecti, quia idemmet actus potest existere deficiente existentia physica obiecti.
- 28 Obiect. 4. Actus naturalis potest tendere in obiectum supernaturale: ergo potest visio clara, & intuitiva naturalis tendere in essentiam diuinam. Probo consequentiam talis visio non potest repugnare si ex naturalitate actus, & supernaturalitate obiecti, non repugnat sed ex hoc capite non repugnat: ergo ex nullo. Resp. repugnare talem visionem non præcisè ex supernaturalitate obiecti & naturalitate actus vt sic sed ex tali naturalitate visionis intuitivæ, & tali supernaturalitate obiecti, & ex repugnantia principij naturalis potentis producere visionem intuitivam circa obiectum infinitum.
- 29 Obiect. 5. Actus specificantur ab obiectis: ergo obiectum supernaturale debet attingi actui supernaturali, & obiectum naturale actui naturali. Resp. actus aliquando specificari ab obiectis medijs principiis à priori aliquando tantum à posteriori non adequatè, secundum omnia prædicta sed inadæquatè.
- 30 Obiect. 6. Actus & obiecta debet esse proportionata: ergo actus supernaturalis exigit obiectum supernaturale, & actus naturalis obiectum naturale. Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia proportio inter actum, & obiectum non requirit hanc correspondentiam prædicatorem sicuti non requirit correspondentiam actus increati ad obiectum increatum, neque actus materialis ad obiectum materiale, sed salua hac correspondentia potest ferri actus naturalis in obiectum supernaturale, & actus supernaturalis in obiectum naturale, sicuti fertur cognitio creata hominis in obiectum increatum, & cognitio spiritalis in obiectum materiale.

§. V.

Quomodo aliqui distinguant actus naturales, & supernaturales circa idem formale obiectum.

- 31 Ex his qui nobiscum sentiunt posse circa obiectum formale naturale dari actum supernaturalem, & circa obiectum formale supernaturale dari naturalem actum, nonnulli differentias quasdam assignant, ex quibus specificantur actus diuersi circa idem obiectum, quas placet in præsentiarum examinare.
- 32 Granadus 1. 2. Contro 8. de gratia tractatu 1. asserit eo differre, quod actus naturalis fertur in obiectum supernaturale modo improporcionado excellentiæ obiecti, & actus supernaturalis fertur in idem obiectum modo proportionato. Agnosco differentiam hanc inter actum naturalem, & supernaturalem circa idem obiectum supernaturale, sed video nihil lucis nobis asserre ad rē clariùs cognoscendam, quod sic probo. Ferri actum naturalem improporcionado modo in obiectum supernaturale nihil aliud est, quam ferri modo naturali, & per entitatem naturalem, & ferri actum supernaturalem modo proportionato in idem obiectum est

ferri actui supernaturali: ergo idē est dicere hos actus differre ex proportionē, & improporzione ad obiectum, ac dicere differre ex eo quod vnus sit naturalis, & alius supernaturalis, quod non clarioribus terminis sed obscurioribus nobis explicatur, quia improporzione inter actum & obiectum nota sit per naturalitatem actus, & supernaturalitatem obiecti, & proportio per vtriusque supernaturalitatem.

Lorca citatus §. 3. n. 17. asserit distingui hos actus, quia actus supernaturalis fertur efficaciter in suum obiectum supernaturale, actus verò naturalis in obiectum supernaturale ineffaciter fertur. Displicet hic dicendi modus, quia actus voluntatis efficaciter potest ferri in obiectum supernaturale, etiam si naturalis sit, possum enim amore naturali obiectum supernaturale, ita efficaciter amare, vt ex vi illius amoris mouear ad illius prosecutionem: potest etiā actus supernaturalis ineffaciter ferri in obiectum supernaturale, & in obiectum naturale, & ita ex hoc capite non poterit differre ab actu naturali. Deinde hæc differentia in actibus speculatiuis intellectus locum non habet.

Ripalda disp. 46. sect. 2. Actus naturales & supernaturales circa idem obiectum asserit distingui ex modo tendendi in suum obiectum, qui modus tendendi vt à plerisque sine explicatione traditur passim à multis impugnatur, ex eo quod modus tendendi non distinguatur ab ipsa tendentia, & ab eodem actu, verumtamen sicuti à nostro Ripalda explicatur maiori opera indiget illius impugnatio. Afirmat actus naturales, & supernaturales in genere respicientes idem obiectum siue naturale, siue supernaturale, differre ex diuerso modo, quo illud respiciunt, quia actus supernaturalis respicit illud obiectum excellentiori modo superante modum naturæ habentēque connexionem cum gratia iustificante; naturalis vero respicit obiectum modo perfectionis contento intra modum naturæ, & nullam habentē connexionem cum gratia iustificante. Probat hanc differentiam, quia actus naturalis, & supernaturalis possunt habere eandem connexionem comparati cum obiecto naturali, comparati verò cum natura, & gratia sanctificante non habent eandem connexionem, quia de conceptu quidditatiue entis supernaturalis est habere connexionem cum gratia habituali, quam non potest habere naturalis actus.

Si claro calamo scripisset Ripalda actus supernaturales distingui à naturalibus ex eo quod supernaturales habeant connexionem cum gratia sanctificante, qua carent actus naturales, non ego cum illo contenderem, quia meus non est animus rationem communem supernaturalitatis inquirere, ægrè tamen fero aliud in re dicentē velle nobis suadere ipsum ex hoc capite actus distinguere ex diuerso modo tendendi in obiectum, quia tendentia in gratiam habitalem, & connexio actus cum illa non est formaliter tendentia in obiectum, neque connexio cum illo, quia vt ipse asserit actus naturalis, & supernaturalis comparati cum obiecto naturali, quod vtrique commune sit, possunt habere eandem connexionem cum illo, etiam si naturalis non habeat connexionem cum gratia habituali, qua gaudet actus supernaturalis: ergo connexio ad obiectum supposita differentia inter actum naturalem, & supernaturalem, est eadem & modus tendendi in illud formaliter idem, & tantum materialiter diuersus per identitatem realem, quam habet connexionem ad gratiam sanctificantem in actu supernaturali, quam identitatem non habet in actu naturali.

Afirmat secundo Ripalda actum supernaturalem, & naturalem tendentem in obiectum supernaturale discerni inter se ex eo quod actus supernaturalis connexionem habet cum obiecto, & falsus esse non potest, actus verò naturalis quatenus ex se connexionem non habet cum obiecto, & illi falsitas subesse potest. Differentiam actibus conuenire probat, quia actus supernaturalis fidei ex suo formali obiecto habet certitudinem, & veritatem, quam non habet naturalis actus, cui veritas extrinsecè contingit. Posset Ripalda omnibus actibus naturalibus, & supernaturalibus siue tendentibus in obiectum naturale, siue supernaturale eodem iure hanc differentiam assignare, quapropter immerito affirmat specialem esse actibus tendentibus in obiectum supernaturale, quod sic probo. Sicuti actus naturalis fidei connexionem non habet cum obiecto supernaturali, v. g. cum testimonio Dei, in quod fertur, ita neque alius actus naturalis respiciens obiectum naturale connexionem habet cum suo obiecto naturali: ergo nullus actus naturalis siue respiciat obiectum naturale siue supernaturale, connexionem cum illo habet: ergo eadem differentia potest assignari

inter actus naturales, & supernaturales respicientes idem obiectum, siue hi communicent in obiecto naturali siue supernaturali. Actus naturales non habere connexionem cum obiecto probat: si aliquis actus naturalis haberet connexionem cum obiecto, maxime intuitus: sed illam non habet ut probauit Contr. 7. Punct. 1. n. 15. ergo nullus. Deinde omni actui naturali veritas extrinseca est ut probauit Contr. 7. Punct. 1. §. 3. ergo nullus actus naturalis connexionem habet cum obiecto.

36 Secundo, ex ipso Ripalda in illum obiecto. Actus supernaturalis fidei potest ferri in obiectum tantum apprensus: quia potest quis iudicare Deum reuelasse veritatem aliquam, quam de facto non reuelauit: ergo actus supernaturalis connexionem non habet cum obiecto. Admittit Ripalda antecedens in ordine ad hanc consequentiam, & respondet actus supernaturales, qui de facto sunt circa obiectum formale existens hanc differentiam habere petitam ex connexionem cum tali obiecto existente, quam non habent cum eodem obiecto actus naturales illud respicientes, quidquid sit de aliis actibus supernaturalibus.

37 Solutionem hanc clarè impugno: vera esto illius doctrina: ergo differentia assignata inter actus naturales, & supernaturales respicientes obiectum supernaturale non est pro omnibus actibus respicientibus tale obiectum; sed pro his quæ de facto respiciunt verum obiectum existens: ergo non ad rem, quia cum agimus de differentia constituenda inter actus naturales, & supernaturales respicientes idem motum supernaturale, assignari debet differentia quæ conueniat omnibus illis actibus, de quibus disputatio instituitur.

38 Secundo. Ut ipse sibi obicit, & satis bene obiecit si difficultatem solueret: si datur aliquis actus supernaturalis indifferens ut coniungatur cum obiecto, & ut existat sine illo: ergo hi actus, qui de facto existunt hanc indifferentiā habent, quia ex predicato supernaturalitatis illis non repugnat, neque aliud est caput, ex quo dicamus illis aduenire hanc strictam connexionem cum obiecto, addo ego, neque fundamentum ut dicamus hos actus existentes de facto circa obiectum non esse ex indifferentiis ut coniungantur cum existentia obiecti, & cum negatione illius.

39 Negat sequelam Ripalda, & asserit actus supernaturales quos concessit ferri in obiectum tantum apprensus dirigi ex cognitione reflexa proponente apparentiā obiecti, quæ apparentia semper est vera, actus verò, qui feruntur in obiectum existens representare non solum apparentiam, sed etiam existentiam obiecti, & ita omnes habere connexionem cum suo obiecto: hi, qui illud representant existentem, cum existentia, in quam feruntur, & illi qui illud apprensus proponunt cum apparentia, in quam feruntur, & ita omnes intrinsecè esse veros, quia sicut actus representans obiecti existentiam verus est ex eo, quod obiectum existat, ita illi qui representant obiecti apparentiam aut probabilitatem sunt veri ex eo quod obiectum sit apprensus, aut probabile etiam si non sit verum aut existens. Ita n. 11. quod nescio an conueniat cum antecedenti paulo antea admissio, videlicet actus supernaturales posse ferri in obiectum tantum apprensus, quod non sonat, neque ex antecedentibus, & consequentibus ibi dictis actus supernaturales posse ferri in obiecti apparentiam, quia apparentia obiecti vera est & verè existit: sed quidquid sit de hoc, doctrina tradita falsa est, quam sic impugno: Actus misericordie non fertur in apparentiam misericordie alienæ, sed in ipsam misericordiam, quæ apparet, nullo modo tenente se apparentia ex parte obiecti, neque actus fidei fertur in apparentiā reuelationis, sed in ipsā reuelationē, ac proinde si datur aliquis actus supernaturalis, v. g. aliquis actus fidei supernaturalis, qui feratur in testimonium Dei tantum apprensus, fertur in obiectum, quod non est, scilicet in reuelationem non existentem, quæ est formale obiectum actus fidei, & non illius apparentia.

40 Vltimò solutiones hucusque datas vno ictu impugno: Connexio actus supernaturalis cum obiecto, illius efficacia & modus ille tendendi excellentior supra modum, quo tendit naturalis actus in suum obiectum, si datur, sunt eademmet indissolubiles entitas actus: ergo ex aliquo capite debemus his modis specificationem assignare, propriè enim loquendo, nihil specificatur à se ipso, quia specificare est causare, & sicut nihil seipsum causat, ita nihil specificare potest se ipsum.

41 Vltimò ostendo ex principiis Ripaldæ actus naturales, & supernaturales optimè specificari ex principiis quod

ipse ait disput. 49. citata, num. 1. sibi in doctrina nostri Molinæ displicere. Actus vitalis supernaturalis necessaribz procedit à principio supernaturali: ergo habet connexionem cum entitate supernaturali, quia omnis actus vitalis essentialiter est connexus cum Principio: ergo ex hoc ex principiis ipsius Ripaldæ: quidquid habet connexionem essentialē cum causa supernaturali, est supernaturalē excepta connexionē quam omnes entitates habent cum causa prima, hæc enim connexio est transcendentalis omnibus: sed operatio procedens à principio supernaturali habet connexionem cum entitate supernaturali: ergo est supernaturalis. Maiorem tradit Ripalda num. 6. minor ab omnibus admittitur, consequentia est legitima. Actus naturales specificari à principio adæquato naturali sic ostendo. Nullum principium adæquatum secundum se totum naturale potest efficere aliquid supernaturale: ergo principium secundum se totum naturale est determinatum ad producendum effectum naturalem: ergo ex illo recte infertur naturalitas effectus tanquam à vera causa, à qua specificationem trahit.

PUNCTUM V.

De specificatione aliarum entitatum.

Simplex substantia adæquata sicuti Angelus, & Cælum si compositionem ex materia & forma non habet, anima rationalis & materia prima nullum possunt habere specificationem creatum, quia à nulla creatura produci possunt, sed tantum ab omnipotentia determinata per actum voluntatis diuinæ tanquam à causa extrinseca totam suam trahunt specificationem. Formæ materiales cum à causa secundis producuntur semper à principio actiuo specificari necesse est, quia hoc vel ex natura rei independenter, à quocumque alio, vel dependenter à circumstantiis, cum quibus formam producit determinatum est ad producendum formam cum hac natura specifica, & non aliam specie diuersam. Necnon dispositiones ad formam moraliter illam specificant, quia influunt moraliter in illam determinatè exigendo formam specie talem, & non aliam. Item forma substantialis semper trahit à subiecto educationis specificationem secundum gradum materialis, vel spiritualis, quia ex subiecto materiali necessariò materialis forma, & ex subiecto spirituali forma spiritualis necessariò educitur. Vnionis modus à principio productionis illius specificationem trahit quodcumque illud sit, & à subiecto educationis secundum illa prædicata, quæ in forma ex illo specificantur, nec non secundum omnia saltem à posteriori ab utroque extremo, quia hæc specie extrema unionis huius speciei necessariò exposcunt, & inferunt. Composita substantialia specificationem intrinsecam trahunt non solum à forma, sed etiam à materia, quia est à forma trahant vltimum gradum specificum, per quem homo differt ab equo, à materia trahunt distinctionem secundum aliquem gradum, quo homo & equus distinguuntur ab aliis compositis ex formis eiusdem speciei, & materiis diuersis. Idem dico de compositis accidentalibus: est enim specie diuersum compositum ex gratia habituali, & Michaeli, quam ex gratia habituali, & anima rationali Petri, quod clarius patet in composito ex gratia habituali, & ligno in sententia, quæ asserit gratiam posse vniuiusque hoc enim compositum non est ideo charum, neque amore dignum, secus quæ ex eadem gratia, & subiectis rationis capacibus componuntur. Ratio à priori est, qui compositum essentialiter includit utramque partem, & ita altera variata variatur partialis illius essentia, & saltem partialiter essentialiter est diuersum, & specie distinctum.

Relatio transcendentalis per omnia prædicata vagatur, & nihil de illa speciale dicendum occurrit, omnia enim quæ in hoc tractatu de entitatibus omnium prædicamentorum, dicuntur omnibus relationibus commodè aptari poterunt. Pro omnibus tamen notare placet nullam specificari à priori à termino, in ratione termini, quia ut talis nihil influit in relationem.

Relatio prædicamentalis entitas non est specialis distincta à fundamento, & termino pertinentibus ad diuersa prædicamenta, illiverò qui has relationes superadditas admittit sic rem componere debent. Omnis relatio debet specificari à fundamento, ex quo educitur, secundum omnia prædicata.

ad quæ educationis subiectum determinatum est. Item ab eodem fundamento non quatenus principium passiuum, sed tanquam actuum adequatum specificatione trahit relatio secundum omnia prædicata, quia licet fundamentum secundum se non sit determinatum ad omnia, est tamen determinatum ad producendam talē speciem relatione posito termino talis speciei, à quo tanquam à conditione relatio specificatur, quia relatione illius determinatur fundamentum ad producendam potius relatione similitudinis, quam relatione dissimilitudinis.

Obiicietur ergo etiam si intellectus sit indifferens ad producendum assensum, vel dissensum poterit specificare hæc prædicata, positis his speciebus tanquam conditione. Resp. negando consequentiam, quia species non determinat ut conditiones sed ut principia verè specificantia, quæ sibi specificationem arrogat, termini verò cum non se habeant ut principia, non specificationem sibi assumunt, sed illam relinquunt principio effectui relationum.

Quantitas si eiusdem speciei est in compositis, quæ de facto dantur, & in toto simplici non habet materiam, & formam, specificatur à prædicato quodam communi, in quo conueniunt materia prima, quæ de facto datur, & corpus simplex compositum, quod saltem existeret potest si de facto non existit. Si autem species differret in his compositis specificatur ex speciali illorum ratione secundum speciem ratione quantitatis, & ex communi secundum prædicatam communem quantitatis, quod materia primam, & corpus illud tanquam forma accidentalis illorum efficeret. Inter ipsas materias primas speciei diuersas, & ipsa corpora adequata simplicia possunt pro multiplicatione specierum quantitates speciei distincte multiplicari, quod si contingat speciale prædicatum quantitatis ex natura specialis talis materiam primam, vel talis corporis simplicis trahet specificationem. Si tamen omnibus materiis primis etiam speciei diuersis eadem in specie quantitas conueniat, & omnibus corporibus simplicibus speciei distinctis eadem speciei quantitas adaptetur tota specificatio harum quantitatum rationi communi, in qua materiam primam inter se conueniunt, & rationi, in quam conspirant simplicia corpora tribuenda est. Examinare an quantitates speciei differant in corpore simplici, & in materia prima, & in diuersis corporibus simplicibus & diuersis materiis primis non spectat ad præsens institutum.

Præsentia specificatur à subiecto, quod est vera causa illius, & secundum diuersam illius naturam specificam diuersam in specie præsentiam accipit. Specificatur etiam à principio actiuo, secundum illa prædicata ad quæ producenda sub his circumstantiis determinatum est.

De actione, & passione eodem modo philosophandum est, quæ semper ratione spiritualis, & materialis trahit ex subiecto, & ex principio materiali adequato, similiter ratione materialis, quæ ex duplici capite trahi potest, ratio naturalis, & supernaturalis ex principio iuxta sæpe dicta & vltima ratio specialis talis actionis ex principio & subiecto, variata enim natura cuiuslibet actio & passio diuersam naturam fortietur. Ex termino actio & passio nullam specificationem à priori trahit, quia terminus non est vera causa. A posteriori ab illo specificatur secundum rationem materialis, & spiritualis, hæc est enim optima consequentia: terminus est materialis: ergo illius actio materialis est, terminus est spiritualis: ergo actio productiua illius. Specificatur etiam à posteriori secundum gradum supernaturalis, recte enim inferitur, terminus est supernaturalis: ergo actio productiua illius supernaturalis est, non tamen adhuc à posteriori specificatur secundum gradum naturalis, non enim recte inferitur, terminus est naturalis: ergo actio est naturalis, potest enim terminus naturalis produci per actionem supernaturalem dependentem ab agenti supernaturali, cum quo essentiali connexionem habet.

De duratione si esset accidens distinctum eodem modo esset philosophandum ac de præsentia: situs, & habere non sunt entitates reales distinctæ ab illis quæ per alia prædicamenta vagantur.

CONTROVERSIA XVI.

De Anima separata.

Gimus iam de natura Animæ, & de omnibus, quæ illi conueniunt dum est corpori unita. restat agendum de illa prout à corpore separata.

Primum, an habeat talem separationis statum. Secundum, quibus actionibus se in tali statu exerceat.

PUNCTVM PRIMVM.

An Animarationalis sit immortalis.

Animam rationalem perpetuò durare à prima sui creatione, dogma Catholicum est quod inter alia de eadem anima retuli Contro. 1. Punct. 3. Insuper statutum esse hominibus semel mori testatur Apostolus, & suadet ratio desumpta ex continua pugna inter qualitates requisitas ad unionem animæ conseruandam, & demonstrat quotidiana experientia, quæ videmus omnes homines mori, nullumque multum centenarium annorum numerum excedere & raro illum attingere, quapropter si probemus animam non mori sed perpetuò durare, manifestè statum separationis conuenietur.

De animi immortalitate disputant Philosophi omnes, qui vna voce, Epicureis demptis, animam rationalem perpetuò duraturam fatentur, hæc veritas infusa est à natura omnium mentibus utpote valde necessaria non solum ad Christianam vitam, religionemque tuendam, verum etiam ad politicam peragendam. Nulla enim Respublica posset gubernari, neque ordinatè viuere, nisi metu pœnæ animis infligendæ post mortem non arceretur: hæc de causa, qui vera præmia, atque supplicia, quæ Deus probis, ac prauis hominibus fidei lumine orbat non cognouerunt, in commentitiis fabulas, fictaq; præmia bonis, malisque supplicia abiectis: deo cymba Acherontis, Elysij campi, canis Cerberus, Stygius lacus, & alia huiusmodi fuere conficta.

Hanc veritatem mirè elucidant P. Lessius lib. 2. de numinis prouidentia, & Conimbr. Patres eruditione selecti, tract. de Anima separata, q. 1. vbi quid de hac varij Philosophi senserint copiosè tradunt. P. Soar lib. de Anima c. 10. vbi innumeris testimoniis Scripturæ & Patrum hanc veritatem confirmat.

Est ergo fide sanctum animum rationalem perpetuò duraturum Eccl. 12. *abit homo in domum eternitatis sue.* Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* vbi sancti in vitam æternam vocantur Lucæ 16. *Factum est ut moreretur mendicus, & portaretur in sinum Abrahæ: mortuus est autem diues, & sepultus est in inferno.* Lucæ 23. *Domine, memento mei cum ueneris in regnum tuum: hodie mecum eris in paradiso.* Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere,* quæ testimonia aperte demonstrant perpetuam animæ durationem, & statum separationis relicto corpore post mortem. Alia quam plurima reperies apud Soar supra.

Neque tantum est fide certum animam rationalem perpetuò duraturam, sed etiam ipsam naturam suam esse immortalem & naturaliter non posse mori, quam veritatem probat Conimbr. & communiter Doctores auctoritate Concilij Lateranensis sub Leone X. sess. 8. vbi damnantur omnes, qui dixerint animam esse mortalem, & definitur naturam suam esse formam corporis, & esse immortalem, & præcipitur Philosophiæ magistris, ut soluant argumenta, quæ contra hanc veritatem adduci possunt. Quod si anima naturaliter mori posset non diceretur immortalis natura sua.

Neque P. Vasquez aliud insinuat cum dicit tom. 2. in 1. p. disp. 182. animam rationalem comparatam cum creaturis esse incorruptibilem, comparatam verò cum omnipotentia Dei esse corruptibilem, quia hic tantum docet animam rationalem à nulla creatura, sed tantum à Deo posse corrumpi, quod non probat ipsam non esse naturam suam æternam, quia licet anima rationalis petat perpetuò durare & hac ratione dicatur immortalis, in Concilio Lateranensi, certum est Deum posse illam annihilare, & cessare à conseruatione illius quantumuis anima eam exigit.

Rationem huius conclusionis inquirunt Doctores, qui omnes fatentur præcipuam esse desumptam ex recta prouidentia, ac gubernatione Dei, ad quam pertinet præmia concedere rectè viuentibus, & non impunè fontes peccatores abire permittere, sed in hac vita non semper id præstat, sæpe enim videmus impios superexaltatos, & pios religiososque viros abiectos multisque afflictos miseris: ergo signum est animam esse immortalem, & in alia vita præmium, suppliciumve secundum bona vel mala perpetrata reportaturam. Hac ratione vsus est Iob. cap. 21. n. 23. *Ille moritur robustus, & sanus, diues & felix: viscera eius plena sunt adipe, & medullæ ossa illius irrigantur: alius verò moritur in amaritudine*